



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XI. Gregorii Papae I. Ad Ioannem Epsicopvm Ravennatem. De vsu
pallii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

EPISTOLA X.

G R E G O R I I P A P Æ I.

AD FELICEM EPISCOPVM SARDICÆ.

De obedientia maioribus exhibenda.

Gregorius Felici episcopo Sardicæ.

QVALITER obedientia, vel sit reuerentia præpositis exhibenda, ex tuis quoque subiectis ipse non ambigis. In quare valde est vtile, si id quod disciplinæ vigor imponit, nullo cogente, humilitas laudanda seruauerit. Peruenit itaque ad nos, quod fraternitas tua Ioanni fratri nostro primæ Iustinianæ episcopo secundum morem parere despiciat, & nec decreto eius, nec relationi, quam ad nos direxit, iuxta consuetudinem voluisse subscribere. Quod si ita est, contristamur; quia superbiæ de te manifestum præbes indicium. Quod quam sit, præcipue in sacerdote, culpabile, diuinæ clamant admonitionis eloquia. Propterea hortamur, ut mentis tumore deposito, ordinatori tuo antedicto fratri & coepiscopo nostro humilem te exhibere ac parere non desinas; quatenus & Deus gaudeat in fraternitatis vestræ concordia, & alii de te sumant bonitatis exemplum. Nam si, quod non credimus, te in superbia permanere contigerit, distictam canoniamq[ue] disciplinæ correctionem contumaciæ tuæ nos fecito vlciscenter imponere. Bene ergo facis tales te sponte salubri consideratione præbere, qualis esse canonica coercitione exigente compelleris. Nam nec tibi denuo, post nostram admonitionem, licebit ad tuæ voluntatis arbitrium contra morem maioribus tuis inobedientem existere, nec tantæ nos indiscretionis ecclesiasticam cognoscas dissimulare vel differre vindictam.

EPISTOLA XI.

G R E G O R I I P A P Æ I.

AD IOANNEM EPISCOPVM RAVENNATEM.

De vsu pallii.

Gregorius Ioanni episcopo Rauennati.

FRATERNITATEM vestram valde inuenio contristatam, pro eo quod in letaniis induere pallium rationis cen-

BBCL

11. 169. P. 1. 1. 1.

sura prohibetur. Sed per excellentissimum Romanum patricium, & per eminentissimum præfectum, atque per alios ciuitatis suæ nobiles viros importune expetit, vt hoc debeat concedi. Nos autem solicite requirentes ab Adeo-
dato diacono quondam fraternitatis tuæ cognouimus, quia nunquam consuetudo fuerit decessoribus tuis, vt in letaniis pallio nisi in solennitate beati Ioannis Baptista, & beati Petri apostoli, & beati martyris Apollinaris vteren-
tur. Cui quidem nequaquam credere debuimus, quia multi apud ciuitatem fraternitatis vestræ responsales sæ-
pius fuerunt, qui se fatentur tale aliquid nunquam vidif-
se. Et de hac re multis potius credendum est, quam vni pro
sua ecclesia aliquid attestanti. Sed quia nos fraternitatem
vestram contristari nolumus, & petitionem filiorum no-
strorum apud nos minime frustrari; vsum pallii, donec
subtilius veriusque aliquid cognoscamus, in letaniis solen-
nibus, id est, die natalitio beati Ioannis Baptista, & beati
Petri apostoli, & beati Apollinaris martyris, atque in or-
dinationis vestræ celebratione concedimus. In secretario
vero secundum morem pristinum suscepis ac dimissis ec-
clesiæ filiis, induere vestra fraternitas pallium debeat, at-
que ad Missarum solennia ita proficiisci, & nihil sibi am-
plius ausu temerariae præsumptionis arrogare; ne dum in
exteriori habitu inordinate aliquid arripitur, ordinate
etiam quæ licere poterant adimantur. Data mense Octo-
bri, indictione 13.

EPISTOLA XII.

GREGORII PAPÆ I.

AD PETRVM EPISCOPVM TRICALITANVM.

De visitatione Agrigentinæ ecclesiæ.

Gregorius Petro episcopo Tricalitano.

QVONIAM Agrigentinæ ecclesiæ a nobis fraternita-
ti tuæ visitationis commissa est cura, laboribus tuis
aliquid ex ea vtile prospexitus consulendum. Propterea
Maximiano fratri & coepiscopo nostro scripsimus, vt
quartam, quam eiusdem ecclesiæ episcopum oportebat
accipere, a die visitationis tuæ, vel quoisque illic eam
solicitudinem gesseris, tibi debeat applicare. Vnde fra-

Concil. Tom. 13.

Ddd ij